



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Mulieres sæpe esse maritorum cruces.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

plumbeam iram habere. Denique pauci sunt, qui vxores suas non vocent *cruces suas*.

III.

Porro vxorem esse *crucem*, & quidem *malam maximam crucem*, non solum Cato testatus est, cum, *mulierem esse malum necessarium*, pronunciaret; sed diuinæ etiam litteræ asseruerunt.

Eccles. 25. 17.
& vers. 22.

Omnia malitia nequitia mulieris, inquit: itemque: *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.*

Ibid. v. 31.

Denique vt verè crucem agnoscas: *Plaga cordis, mulier nequam.* Plura eiusmodi repeti hîc possent ex ijs, quæ supra commemorauimus. Sufficit, à loquacitate, & garrulitate feminarum mariti aures obtundis; à superbia & Juxu veltium marsupia, à bibacitate dolia vacuari. Et

*Sunt, quæ mille dolis expugnant dolia: si vir
Non bibit, vxor erit tanto sitientior illo.*

Fuit vir, qui cum ebrius domum rediret, vxorem, & liberos, & ancillas, tandem & canem ex ædibus expelleret; & ne quidquam viuum domi maneret; ad extremum & selem è fenestris in plateas proiecit; vt solus dominaretur, in suis laribus. Fuit femina quæ cum vicina quotidie potitabat ad ebrietatem; ac eufata magistratus vini potatione interdixit. Annuit illa, & se obsecundaturam dixit; dummodo sibi tunc fas esset merum bibere, quando aliquid venderet, aut emeret. Inter vinum enim, dicebat, venditiones & emtiones esse meliores. Concessit hoc Magistratus. Habuit hæc fæmina domi capram. Eam alternis diebus vicinæ vendidit; & alternis rursus emit ab eadem. Sic quotidie, vt prius, dum contractum haustu faceret, potitabat. Nempe Æthiopem, aut laterem facilius est lavare, quàm emendare mulierem. Septem pelles habet: si vnâ detraxeris inuenies adhuc duriolem. Vltima callum erit.

IV.

Existit ergo hinc prima peculiaris quæstio, cur, in bono statu matrimonij, mulieres malas, aut viros minimè bonos Deus esse sinat? Aio r. Deum suam homini non adimere libertatem. Malæ sunt mulieres, quia malæ esse volunt. Si vellent, bonæ essent; sicut & aliæ quædam bonæ sunt. Quod & de viris respondendo. Sua cuique nimirum cupiditas Deus est. Sic & mu-

men